



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Svpplementvm Tertiæ Partis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De absoluteione secundam se. Quæstio 25.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38817

cum qua non potest esse peccatorum remissio: & ideo vnum peccatum sine altero remitti non potest. Sed excommunicationes non habent aliquam talem connexionem, nec iterum absolutio ab excommunicatione impeditur, propter voluntatis contrarietatem, ut dictum est *. Et ideo ratio non sequitur.

* hoc eodem art. et ar. p^{re}ced. sed.

Ad secundum dicendum, quod sicut pluribus de causis erat aliquis extra Ecclesiam: ita possibile est quod ista separatio remoueat quantum ad vnam causam, & maneat quantum ad alteram.

QVÆST. XXV.

De indulgentia secundum se, in tres articulos diuisa.

de materia, cap. quod autem, et c. nostro, de poenit. & remiss.

Consequenter considerandum est de indulgentia. Et primo de ea secundum se. Secundo, de facientibus indulgentiam. Tertio, de recipientibus eam.

- ¶ Circa primum queruntur tria.
- ¶ Primo, vtrum per indulgentiam possit aliquid remitti de poena satisfactoria?
- ¶ Secundo, vtrum indulgentiæ tantum valeant quantum pronuntiantur?
- ¶ Tertio, vtrum pro temporali subsidio sit indulgentia facienda?

ARTIC. I.

Vtrum per indulgentiam possit aliquid remitti de poena satisfactoria?

97
Tho. 4 d. 20. q. 1. ar. 3. q. 1. c. seq. * gloss. or. ibid.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod per indulgentiam non possit aliquid remitti de poena satisfactoria. Quia super illud 2. Timoth. 2. Neque seipsum non potest, dicit gloss. * quod faceret, si sua non impletet. Sed ipse dixit Deut. 25. Secundum mensuram delicti erit & plagarum modus. Ergo non potest aliquid remitti de poena satisfactionis, quæ data secundum quantitatem culpæ.

¶ 2 Præterea, Inferior non potest absolute ad eo, ad quod superior obligauit. Sed Deus in absoluto a culpa, obligat ad poenam temporalem, ut dicit Hugo

Hugo ¶ de S. Viſt. Ergo nullus homo poteſt abſolue-
re a poena illa, aliquid inde dimittendo.

† in 17. c.
5. ſumma
Senter. 4.
c. 11.

¶ 3 Præterea, Hoc ad poteſtatem excellentiæ
pertinet, vt ſine ſacramentis effectus ſacramentorum
tradatur. Sed nullus habet poteſtatem excellentiæ
in ſacramentis, niſi Chriſtus. Cùm ergo ſatisfactio ſit
pars ſacramenti poenitentiae, operans ad diſmiſſionem
poenæ debitiæ, videtur quòd nullus homo purus poſſit
dimittere debitum poenæ ſine ſatisfactione.

¶ 4 Præterea, Poteſtas miniſtris Eccleſiæ non
eſt tradita in deſtructionem, ſed in ædificationem.
Sed hoc ad deſtructionem pertineret, ſi ſatisfactio,
quæ ad utilitatem noſtram inducta eſt, in quantum
remedium præbet, tolleretur. Ergo poteſtas miniſtro-
rum eccleſiæ ad hoc ſe non extendit.

SED contra, 2. ad Corinth. 2. Nam & ego quod
donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chri-
ſti: gl. * id eſt, ac ſi Chriſtus donaveſſet. Sed Chriſtus
poteſt relaxare abſque omni ſatisfactione poenam,
peccati: vt patet Ioan. 8. de muliere adultera. Ergo
& Paulus potuit. Ergo & Papa poteſt, qui non eſt
minoris poteſtatis in Eccleſia, quam Paulus fuit.

gloſ. in
1. ibid.

Heb. 5.

¶ Præterea, Eccleſia vniuerſalis non poteſt erra-
re; quia ille qui in omnibus exauditus eſt pro ſua re-
verentia, dixit Petro, ſuper cuius confeſſione Eccle-
ſia fundata eſt, Ego rogavi pro te, vt non deficiat
fides tua; Luc. 22. Sed eccleſia vniuerſalis indulgentias
approbat, & facit. Ergo indulgentiæ aliquid valent.

RESPONDEO dicendum, quòd ab omnibus con-
ceditur indulgentias aliquid valere: quia impium eſt
ſeſe dicere, quòd Eccleſia aliquid vane faceret. Sed
quidam dicunt quòd non valent ad abſoluendum a
reatu poenæ, quam quis in Purgatorio ſecundum iudi-
cium Dei meretur: ſed valent ad abſoluendum ab
obligatione, qua ſacerdos obligavit poenitentem ad
poenam aliquam, vel ad quamſetiam ordinatur ex Ca-
nonum ſtatutis. Sed hæc opinio non videtur vera. Pri-
mo, quia eſt expreſſe contra privilegium Petro datū,
cui

Matt. 16.

cui dictum est *, vt quod in terra remitteret, in celo remitteretur. Vnde remissio quæ fit quantum ad forum ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea, ecclesia huiusmodi indulgentias faciens, magis damnificaret, quam adiuuaret: quia remitteret ad grauiiores pœnas, scilicet purgatorij, absoluedo à pœnitentijs iniunctis.

Et idèd aliter dicendum est, quòd valent & quantum ad forum ecclesiæ, & quantum ad iudicium Dei, ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem & absolutionem, & confessionem, siue sit iniuncta, siue non. Ratio autem quare valere possint, est vnitas corporis mystici, in qua multi in operibus pœnitentiæ supererogauerunt ad mensuram debitorum suorum, & multas etiam tribulationes iniustas suslinerunt patienter, per quas multitudo pœnarum poterat expiri, si eis deberetur: quorum meritorum tanta est copia, quòd omnem pœnam debitam nunc viuentibus excedunt, & præcipue propter meritum Christi: quòd et si in sacramentis includitur, non tamen efficacia eius in sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit

q. 13. a. 2.

efficaciam sacramentorum. Dictum est * autem supra, quòd vnus pro alio satisfacere potest. Sancti autem in quibus superabundantia operum satisfactionem inuenitur, non determinate pro isto qui remissionem indiget, huiusmodi opera fecerunt, aliàs absque communi indulgentia remissionem consequeretur; sed communiter pro tota ecclesia: sicut Apostolus ait se adimplere ea quæ defunt passionum Christi in corpore suo pro ecclesia, ad quam scribit Coloss. 1. & sic prædicta * merita sunt communia totius ecclesiæ. Ex ista

* in istemet 107.

tem quæ sunt alicuius multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitriam eius, qui multitudini præest. Vnde sicut alicuius conferretur remissionem pœnæ, si alius pro eo satisfecisset: ita si sibi satisfactio alterius per eum qui potest, distribuatur.

q. 13. a. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd remissio, quæ per

per indulgentias fit, non tollit quantitatem pœnæ ad culpam: quia pro culpa vnius, alius sponte pœnam sustinuit, vt dictum est*.

*in corp.
art.*

Ad secundum dicendum, quod ille qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito pœnæ, sed datur sibi vnde debitum soluat.

Ad tertium dicendum, quod effectus sacramentalis absolutionis est diminutio reatus: & hic effectus non inducitur per indulgentias, sed pro eo faciens indulgentias soluit pœnam, quam debuit, de bonis Ecclesiæ communibus: vt ex dictis patet*.

*in corp.
art.*

Ad quartum dicendum, quod maius remedium præbeatur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum operum. Et quia ex affectu, quem accipiens indulgentias concipit ad causam, pro qua indulgentia datur, ad gratiam disponitur: ideo etiam per indulgentias remedium ad peccata vitanda datur, & ita non est in destructionem indulgentias dare, nisi inordinate dentur. Tamen consulendum est eis qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ iniunctis abstineant, vt etiã ex his remedium cõsequantur, quamuis a debito pœnæ essent immunes & præcipue quia quandoque sunt plurimum debitores, quam credant.

ARTIC. II.

Virum indulgentia tantum valeant, quantum pronuntiantur?

98

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod indulgentiæ non tantum valeant, quantum pronuntiantur. Indulgentiæ enim non habent effectum nisi ex vi clauium. sed ex vi clauium non potest habens clauem dimittere de pœna peccati, nisi aliquid determinatum, considerata quantitate peccati & contritionis pœnitentis. Ergo cum indulgentiæ fiant pro* libito instituentis indulgentiam, videtur quod non valeant tantum, quantum pronuntiantur.

** Al. debito.*

¶ Præterea, Per debitum pœnæ homo à gloriæ adeptione retardatur, quam summe appetere debet.

Sed

Sed si indulgentiæ tantum valent quantum promittantur; in breui homo per indulgentias discurrere, posset ab omni reatu temporalis pœnæ immunis reddi. Ergo videtur, quòd deberet his acquirendis, omnibus alijs operibus dimissis homo vacare.

¶ 3 Præterea, Aliquando datur indulgentia, quòd qui dat auxilium ad aliquam fabricam erigendam, tertiam partem remissionis peccatorum consequatur. Si ergo indulgentiæ tantum valent, quantum prædicantur, tunc qui dat vnum denarium, & secundo vnum alium, & iterum vnum alium, plenam absolutionem ab omni peccatorum pœna consequitur; quod videtur absurdum.

¶ 4 Præterea, Quandoque datur hoc modo indulgentia, quòd qui vadit ad aliquam Ecclesiam, septem annos remissionis consequatur. Si ergo tantum valet indulgentia, quantum prædicatur, ille qui habet domum suam iuxta Ecclesiam illam, vel clericus Ecclesiæ, qui quotidie vadunt, consequuntur tantum quantum ille, qui à remotis partibus venit, quod videtur iniustum: & iterum, ut videtur, pluries illa indulgentiam consequitur in die, cum pluries vadat.

¶ 5 Præterea, Idem videtur remittere alicui poenam ultra iustam æstimationem, quam remittit, absque causa: quia quantum ad hoc quòd excedit, non recompensatur. Sed ille qui facit indulgentiam, non posset remittere absque causa poenam in toto vel in parte alicui, etiam si diceret Papa alicui, Ego remitto tibi omnem poenam debitam pro peccato. Ergo videtur, quòd nec possit aliquid dimittere ultra iustam æstimationem. Sed indulgentiæ plerumque prædicantur ultra iustam æstimationem. Ergo non tantum valent, quantum prædicantur.

SED contra, Job 13. Numquid Deus indiget mendacio, ut pro eo loquamur dolose? Ergo Ecclesiæ prædicando indulgentias, non mentitur: & ita tantum valent, quantum prædicantur.

¶ Præterea, 1. Cor. 13. dicit Apostolus, Si in

est prædicatio nostra, inanis est & fides vestra. Ergo quicumque in prædicatione falsum dicit, fidem quantum in se est, euacuat: & ita mortaliter peccat. Si ergo non tantum valent indulgentiæ, quantum prædicantur, omnes mortaliter peccant, indulgentiam prædicantes: quod est absurdum.

RESPONDEO dicendum, quod circa hoc est multiplex opinio. Quidam enim dicunt, quod huiusmodi indulgentiæ non tantum valent, quantum prædicantur: sed unicuique tantum valent, quantum fides & deuotio sua exigit. Sed dicunt, quod Ecclesia ad hoc ita pronuntiat, ut quadam pia fraude homines ad bene faciendum alliciat: sicut mater, quæ promittens filio pomum, ipsum ad ambulandum prouocat. Sed hoc videtur esse valde periculosum dicere: sicut enim dicit Augustinus* in epistola ad Hieron. Si in sacra Scriptura reprehenditur aliquid falsitatis, iam rebus auctoritatis sacre Scripturæ perit: & similiter si in prædicatione Ecclesiæ aliqua falsitas reprehenderetur, non essent documenta Ecclesiæ alicuius auctoritatis ad roborandam fidem. Et ideo alij dixerunt, quod tantum valent quantum pronuntiantur: secundum iustam æstimationem, non tamen dantis indulgentiam, qui nimis fortè æstimat, quod dat; aut secundum æstimationem recipientis, qui nimis parum æstimare posset, quod datur: sed secundum iustam æstimationem, quæ iusta est secundum iudicium bonorum, pensata conditione personæ, & utilitate, & necessitate Ecclesiæ: quia vno tempore Ecclesia plus indiget, quàm alio.

¶ Sed hæc etiam opinio stare non potest, ut videtur. Primo, quia secundum hoc indulgentiæ non valerent ad remissionem, sed magis ad commutationem quamdam. Et præterea, prædicatio Ecclesiæ à mendacio non exuferetur: cum quandoque indulgentia prædicetur longe maior, quàm iusta æstimatio possit requirere, omnibus prædictis* conditionibus pensatis. Sicut quando Papa dat indulgentiam, quod pergens

*Epi. 8. par
rū ante
med. to. 2*

** in isto
met. cor.*

ad vnam Ecclesiam, habeant septem annos indulgentiæ: cuiusmodi etiam indulgentiæ a Beato Gregorio in stationibus Romæ institutæ sunt. Et ideo alij dicunt, quod quantitas remissionis in indulgentijs, non mensuranda est tantum secundum deuotionem suscipientis, vt prima opinio dicebat; neque secundum quantitatem eius quod datur, sicut dicebat secunda: sed secundum causam, pro qua indulgentia datur; ex quo reputatur quis dignus, vt talem indulgentiam consequatur. Vnde secundum quod accedit ad causam illam, secundum hoc consequitur remissionem indulgentiæ, vel in toto, vel in parte.

¶ Sed hoc iterum non potest saluare consuetudinem Ecclesiæ, quæ interdum maiorem pro eadem causa, interdum minorem indulgentiam ponit: sicut rebus eodem modo se habentibus, quandoque datur vnus annus visitantibus Ecclesiam vnam, quandoque 40. dies, prout gratiam Papa facere voluerit, indulgentiam constituens. Vnde quantitas remissionis indulgentiæ non est mensuranda ex causa, quæ facit aliquem indulgentia dignum. Et ideo aliter dicendum est, quod quantitas effectus sequitur quantitatem causæ. Causa autem remissionis pœnæ in indulgentijs non est nisi abundantia meritorum Ecclesiæ, quæ habet sufficienter ad totam pœnam expiandam; nec autem causa remissionis effectiua est, vel deuotio, vel labor, vel datum recipientis indulgentiam, aut causa pro qua fit indulgentia. Vnde non oportet ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiæ, quæ semper superabundant. & ideo secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur. Ad hoc autem quod applicentur isti, requiritur auctoritas dispensandi huiusmodi thesaurum; & vnio eius cui dispensatur ad eum, qui merebatur; (quod fit per charitatem) & ratio dispensationis, secundum quam saluetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt. Fecerunt enim ad honorem Dei, & vtilitatem Ecclesiæ.

fit in generali : Vnde quæcumque causa adsit, quæ in vilitatem Ecclesiæ, & honorem Dei vergat, sufficiens est ratio indulgentias faciendi . Et ideo secundum alios dicendum, quod indulgentiæ simpliciter tantum valent quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis sit auctoritas ; & ex parte recipientis, charitas ; & ex parte causæ, pietas , quæ comprehendit honorem Dei , & proximi vilitatem . Nec in hoc fit nimis magnam forum de misericordia Dei (vt quidam dicunt) nec diuinæ iustitiæ derogatur : quia nihil de pœna dimittitur , sed vnus pœna, alteri computatur .

Ad primum ergo dicendum, quod clavis, sicut supra dictum est *, est duplex, scilicet ordinis, & iurisdictionis . Clavis ordinis sacramentale quoddam est : & quia sacramentorum effectus non sunt determinati ab homine , sed à Deo : ideo non potest taxare sacerdos , quantum per clauem ordinis in foro confessionis de pœna debita dimittatur : sed tantum dimittitur , quantum Deus ordinauit . Sed clavis iurisdictionis non est quid sacramentale , & effectus eius arbitrio hominis subiacet : & huiusmodi clavis effectus est remissio, quæ est per indulgentias , cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiæ : & ideo etiam legati non sacerdotes indulgentias facere possunt . Vnde in arbitrio dantis indulgentiam est , taxare quantum per indulgentiam de pœna remittatur . Si tamen inordinate remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus penitentiae reuocentur , peccat faciens tales indulgentias ; nihilominus quis plenam indulgentiam consequitur .

Ad secundum dicendum, quod quamuis huiusmodi indulgentiæ multum valeant ad remissionem pœnæ, tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu præmij essentialis , quod in infinitum melius est, quam dimissio pœnæ temporalis .

Ad tertium dicendum, quod quando datur indulgentia

Supplementum .

P

tia

q. 19. a. 3
corp.

Marc. 12

tia indeterminate (qui dat auxilium ad fabricam Ecclesie) intelligitur tale auxilium, quod sit conueniens ei, qui auxilium dat; & secundum quod accedit ad hoc, secundum hoc plus vel minus de indulgentia consequitur. Vnde etiam aliquis pauper dans unum denarium, consequitur totam indulgentiam. Non autem diues, quem non decet ad opus tam pium, & fructuosum, ita parum dare: sicut non diceretur Rex alicui homini auxilium huiusmodi facere, si ei obolum daret.

Ad quartum dicendum, quod ille qui est vicarius Ecclesie, & Ecclesie sacerdotes, & clerici consequuntur tantam indulgentiam, sicut illi qui veniunt a remote diæti: quia remissio non proportionatur labori, ut dictum est *, sed meritis quæ dispensantur: sed ille qui plus laboraret, plus de merito acquireret. Ad hoc intelligendum, quando indistincte indulgentia datur. Quandoque enim distinguitur; sicut Papa in generalibus absolutionibus, illis qui transeunt mare dat quinque annos; alijs qui transeunt montes, tres; alijs, unum. Nec tamen quotiescumque vadit in terra, tempus indulgentiæ, toties eam consequitur. Quandoque autem ad determinatum tempus datur, ut cum dicitur, Quicumque vadit ad ecclesiam talem, usque ad tale tempus, habeat tantum de indulgentia: intelligitur, semel tantum. Sed si in aliqua Ecclesia sit indulgentia perennis, sicut in Ecclesia beati Petri quadraginta dierum: tunc quoties aliquis vadit, toties indulgentiam consequitur.

Ad quintum dicendum, quod causa non requiritur ad hoc, quod secundum eam mensurari debeat remissio pœnæ: sed ad hoc quod intentio illorum, quorum merita communicantur, ad ipsum peruenire possint. Bonum autem vnius communicatur alteri dupliciter. Vno modo, per charitatem: & sic, etiam sine indulgentijs aliquis est omnium bonorum participans, quæ fiunt, si in charitate fit. Alio modo, per intentionem facientis: & sic per indulgentias, si causa legiti-

tima adfit, potest intentio illius, qui pro utilitate Ecclesie operatus est, ad istum continuari.

ARTIC. III.

Utrum pro temporali subsidio debeat fieri indulgentia?

99

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod pro temporali subsidio non debeat fieri indulgentia: quia remissio peccatorum est quoddam spirituale. Sed dare spirituale pro temporali, est simonia*. Ergo hoc fieri non debet. 22. q. 100
47. 1.

¶ 2 Præterea, Spiritualia subsidia sunt magis necessaria, quam temporalia. Sed pro spiritualibus subsidijs non videntur fieri indulgentia. Ergo multo minus pro temporalibus fieri debent.

SED contra est communis Ecclesie consuetudo, quæ pro peregrinationibus & eleemosynis faciendis, indulgentias facit.

RESPONDEO dicendum, quod temporalia ad spiritualia ordinantur, quia propter spiritualia debemus vii temporalibus: & ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia; sicut est repressio inimicorum Ecclesie, qui pacem Ecclesie perturbant, sicut constructio Ecclesiarum & pontium, & aliarum eleemosynarum.

Et per hoc patet quod non fit ibi simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali. Unde patet solutio ad Primum.

Ad secundum dicendum, quod etiam pro pure spiritualibus potest fieri indulgentia, & fit quandoque: sicut quicumque orat pro Rege Francia, habet decem dies de indulgentia à Papa Innocent. IV. Et similiter crucem prædicantibus, datur quandoque eadem indulgentia, quæ crucem accipientibus.

QVÆST. XXVI.

De ijs, qui possunt indulgentias facere, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de illis qui possunt indulgentias facere.

P 2 ¶ Circa